

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Cobabus Nikolaus Westermann

## **Disputatio Ethica, De Iustitia Et Iure**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730213625>

Druck Freier  Zugang



Ru phil N 51  
Michael Cobanus  
Nicol. Westermann



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730213625/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730213625/phys_0002)

DFG

16.

Disputatio Ethica,  
*DE*  
**JUSTITIA ET JURE,**

*Quam*  
DEO Optimo Maximo bene juvante,  
*Et*

Amplissima Facultate Philosophica,  
consentiente  
SUB PRÆSIDIO

*M.* CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI  
**DN. MICHAELIS COBABI,**

RECTORIS Scholæ oppidanæ meritissimi,  
Præceptoris, Fautoris, ac Promotoris æter-  
nūm colendi,

publicè ventisandam exhibet

NICOLAUS WESTERMANNUS, Lub.  
Sto. Id. April.

*ANNO M. DC. LI.*

IN AUDITORIO MAJORI  
horis matutinis;

3(0)80  
8

ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Academia Typographiæ





I.  
*Ustitiam consideratur ab eo incipiendum  
esse ducimus, quod in intellectu nostro communem  
sive generalem quandam parit notitiam. Supponi-  
mus itaq; ex lib. 5. Eth. c. i. omnes talem habitum  
justitiam dicere velle, quo homines apti sunt ad res  
justas agendas, & quo justa agunt & volunt justas.  
Eodemq; modo talem habitum & ipsam injustitiam appellare, quo inju-  
rias agunt, resq; volunt in justas.*

II.

*Refertur autem justitia inter illa, quæ cognitu sunt difficillima,  
non tantum quod dicatur multipliciter & in intellectu nostro pariat con-  
ceptus formales distinctissimos; sed etiam tota quodammodo sit virtus,  
& aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus moralibus.*

III.

*Significationes justitiae sunt plurimæ. Nam justus est D E U S: justi  
sunt Angeli: justi sunt homines: justa dicuntur multa alia subjecta;  
non autem ab una eadem justitia. Nam D E U S dicitur justus non à  
forma accidentalis, vel actu quodam formalis; sed à justitia essentiali,  
quæ cum essentia divina reciprocatur, & ab ea non realiter distinguitur.  
Angelus dicitur justus, non à justitia essentiali, sed à qualitate & habitu  
concreato, qui realiter distinguitur ab essentia Angeli. Homo dicitur ju-  
stus 1. à justitia concreata, quemadmodum ante lapsum fuerit justus. 2. à  
justitia theologica legalis, inchoata, comparata & imperfecta, qua fide-  
les DEO obediunt, coram ipso ambulant, ac coram hominibus quoq; sunt  
justi, & irreprehensibles. 3. à justitia fidei & Evangelica, à qua publica-  
nus post conversionem dicitur justus. 4. à justitia carnali & Pharisaicæ  
5. à justitia civilis, quæ in communi hominum societate & conver-  
satione cernitur, ac suum cuiq; tribuit, nemini facit injuriau, sed justa-  
lance omnia ponderat, atq; in contractibus ita sese gerit erga alium,  
quemadmodum optet alios in sese esse affectos.*

A 2

IV. Hæc

## IV.

Hæc justitia, quæ cœliū dicitur, in libro, qui inter Philosophicos de virtutibus scriptos ut insignis gemma elucet, mira quadam solertia depingitur & in partes in vestigatas artificiosè distribuitur. Primus autem illius conceptus materialis sive determinabilis non est virtus. Nam justitia hic latissimè sumitur, & suo ambitu includit justitiam universale & particularem, sed est habitus, qui immediate de illa dicitur, & generis locum in descriptione occupat.

## V.

Ut autem constet justitiae & injustitiae descriptiones rectè esse propositas, aliam rationem esse ostenditur scientiarum potentiarum, & habituum. Eadem enim potentia, scientiaq; videtur esse contrariorum. Contrarius autem habitus non est contrariorum. Ut ergo definiebatur erat per ea, quæ sibi sunt propria. Nisi velimus dicere, justitiam esse habitum, per quem operamur res justas & injustas, quod est falsissimum.

## VI.

Distinguendum vero hic est. 1. inter habitum speculativum & practicum. 2. inter habitum practicum objectivè, & activè consideratum. Quando enim dicitur, quod habitus sit contrariorum: quæstio non est de habitu simpliciter; sed de habitu pratico non objectivè, sed activè considerato, quo nomine nunquam potest esse contrariorum.

## VII.

Ratio formalis hujus justitiae absolvitur triplice differentia. 1. est facultatis, quod homines per illam apti reddantur ad justas actiones producendas, & accipiant virtutem agendi ea, quæ sunt justa: nam habitus subiecto dat qualitatem ad facilius agendum. 2. est actionis, cum enim virtus sit habitus practicus, qui operatione perficitur, omnisq; illius laus consistat in actione, non sufficiebat agendi facultas, sed etiam ipsa virtus actio requirebatur. 3. est voluntatis, quia actiones justæ sunt per actionem humanarum principia, quando eliguntur, & experuntur illa, quæ sunt justæ.

## VIII.

Justitiae opponitur in justitia, quæ quidem dicitur habitus, non autem univocè; siquidem est privatio aptitudinis ad justè agendum, unde homines, quæ injusta sunt, agunt, & volunt. In oppositione autem suinet vicem duorum extremorum, quibus peccamus vel in excessu, vel in defectu.

## IX. De-

## IX.

Descriptione iustitiae in genere cognitâ, sequuntur partes illi subiectae, quas ut facilius cognoscamus, à iustitiae & iniustitiae concreto, quippe quod nobis est notius, incipimus. Quod autem justum concretè acceptum dicitur multis variâ, illud probat natura iniusti, quod iusto est notius, quia virtus faciliter cognoscuntur, cùm habeant aliquam latitudinem & multis modis committantur: Virtutes autem consistant in puncto & medio indivisibili. Quod si itaq; iniustus dicitur, tam, qui à legibus exorbitat, quam qui iniquus in alterum est, & plus sibi, quam illi tribuit: sequitur iustum dici uno modo, qui legibus obtemperat; altero, qui non est pluris cupidus, sed de bonis externis unicuiq; quod suum est, tribuit.

## X.

Priori igitur significatione iustum abstractè sumptum sive iustitia ad omne illud extenditur, quod legibus & juri est consentaneum. In qua significatione non potest esse virtutis species; sed est habitus complectens omnes virtutes, & à virtute non re ipsa, sed ratione distinctus. Cum enim absolute consideratur, ut optimus animi habitus in ordine ad possessorem, vel præcisè ratione subjecti, quod moraliter bonum reddit, & bene agere facit, dicitur virtus; quando vero consideratur in usu ad alterum, sive virtuti superadditur respectus ad alium, dicitur iustitia.

## XI.

Objectum iustitiae universalis sunt omnes virtutum actiones, quatenus legibus præcipiuntur. Hæ denominationem suam accipiunt, vel à suis virtutibus, quando in se & per se considerantur, & dicuntur actiones fortes, magnifica, liberales &c. vel à iustitia quatenus à legibus jubentur, & ab animo legibus obtemperandi cupido suscipiuntur, & potius iustæ appellantur, quam fortes, magnifica, liberales. Ratio formalis iustitiae universalis consistit in obedientia erga omnes leges, quæ de virtute præcipiunt. Opositum est iniustitia universalis, quæ continet omne vitium, & nunquam secundum totam suam latitudinem in eodem numero subjecto esse potest. Nam discordia, quæ virtus se mutuo ex eodem subjecto pellunt, non permittit, ut eodem tempore in eo maneant & morentur. Iustitia autem universalis in eodem subjecto certo respectu & gradu existere potest.

## XII.

Posteriori significatione est virtutis pars subiectibilis & appellatur iustitia

*Justitia particularis, quæ in eo convenit cum justitia universalis, quod etiam in volvat respectum ad alium. Distinguitur autem ab illa 1. ex tremis. 2. objecto. 3. dignitate. Nam universalis præstantior est particulari; & virtus perfecta dicitur non absolute, sed ratione extensionis, qualitatem est diffusa, & omnia ad bonum publicum docet referre.*

### XIII.

*Quod autem detur justitia particularis, quæ est distincta virtutis species, illud probatur. 1. ex illius opposito. Nam iniustitia interdum est vitium, quod à reliquo vitiis est distinctum. E. justitia, quæ huic yitio opponitur, erit virtus à ceteris virtutibus distincta. 2. Omnes actiones humanæ, quæ referuntur ad justitiam universalem, pertinent quoq; ad particularem aliquam virtutem. Si itaq; nulla est virtus particularis, cui annumerari possunt actiones justitiae distributivæ & commutativæ, sequitur particularem aliquam justitiam dari, quæ consistit in rerum externalium distributione & commutatione, neq; de bono externo plus sibi vendicat, & minus alteri relinquat, neq; de malis minus sibi sumit, & plus alteri attribuit, quam est eorum, & jure illi debetur.*

### XIV.

*De hoc justitia vulgo dicitur, quod sit constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuens. Quæ definitio eti si non est Scholastica, probè tamen illam explicant, Thomas 2. 2. q. 18. & Philip. Melanchton in epitome Philosophie moralis; alijq; dicentes, voluntatem in illa sumi non profacultate animæ rationalis, sed pro voluntatis habitu: ut sensus sit, Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate ius suum cuiq; tribuit. Hornæus, ex Arist. sequentem, inquit, construi posse definitionem. Justitia est virtus, quæ tam in rerum distributione, quam commutatione, atq; contractibus, & omnibus, in quibus injuria cuiquam tribui potest, ita hominem se gerere docet, ut nec de externis bonis, putà pecuniis, honoribus & id genus aliis, plus sibi vendicet, & minus alteri relinquat, nec rursus de malis sc. oneribus, pœnis &c. minus sibi & plus alteri, quam par est, & jure illi debetur. Breviter autem definiri potest, quod sit virtus, quæ partim in commutando, partim in distribuendo servat equalitatem. Nam genus in hac definitione est proximum & univocum, atq; differentiæ fundamentum est justitiae objectum.*

### XV. Per

## XV.

Per bona externa, in quibus haec virtus est occupata, intelliguntur bona fortunae, ut divitiae, honores, & similia, quae in fortunae temeritate sunt posita, & in quibus expetendis possumus modum excedere. Quae bona et si in se & sua natura sunt bona: alicui tamen non semper sunt bona. Nam improbo sunt mala, quod illa non usurpat, ut instrumenta virtutum.

## XVI.

Dividitur justitia particularis, ut totum universale in partes subiectiles, putat justitiam distributivam & commutativam. Quam divisionem etiam Arist. l. 5. Eth. c. 5. proponit. της δὲ κατὰ μέρος διαγόνης, καὶ τε καὶ αὐτὴν δικαίας, ἐν μὲν ἐστιν εἰδῶς, τὸ δὲ τοῦ Αἰενομάταις, οὐ πιθῆς, οὐ καρπαθῶν, οὐ τῶν ἀλλῶν, δοὺς μεριστὰς τοῖς κοινωνήσοι της πολιτείας. ἐν ταῖς δὲ ἐστιν καὶ ἄνισον ἔχειν, καὶ τοσούτην ἔτερον ἔτερος. ἐν δὲ τῷ δὲ τοῖς συναλλάγμασι διορθωτών: Justitiae particularis, jurisq; ejus, quod ad ipsam attinet, una species est, quae in distributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut ceterarum rerum consistit, quae dividit in eos possunt, qui ejusdem civitatis participes sunt; in his enim evenit, ut alter alteri vel iniquam vel aquam habere portionem queat: Altera, quae in commerciis hominum emendandis versatur.

## XVII.

Differentia specifica justitiae distributivae & commutativae probatur ex objectis, medium, & actionibus diversis utriusq; virtutis. Objectum in distributiva justitia sunt res, quae cadunt sub distributionem, ut præmia, & onera publica, vel illa omnia, quae alicui debentur, quatenus est membrum alicuius communitatis. In commutativa objectum sunt, commercia, permutationes, & contractus. Medium Justitiae distributivæ est Geometricum: commutativæ sive correctivæ est Arithmeticum. Actiones in distributiva Justitia sunt distributiones: in commutativa permutationes, & correctiones.

## XIX.

Duae itaq; sunt Justitiae particularis species, quae cum sine cognitione doctrine de proportionibus non possunt intelligi, illam huc preconoscamus, necesse erit. Etsi enim proportio primario est numeri numerantibus;

rantis, & propterea in actu signato considerata non ad Philosophiam  
moralem; sed ad Mathesin pertinet, secundariò tamen numero nume-  
rato in est, iusq; omnibus, quæ numerus metiri potest. Ob hanc causam  
in actionibus Justitiae etiam datur proportio, & proportionum differen-  
tia. Quare necesse est, ut Doctrina de proportione ad meliorem rei intel-  
ligentiam ex Mathesi hic proponatur & explicetur.

### XIX.

Proportio autem est æqualitas differentiarum & rationum. Di-  
viditur in Arithmeticam & Geometricam. Illa est æqualitas differen-  
tiarum. Nam in ea numeri inter se distant æquali differentia. Hæc est  
æqualitas rationum; quia hic eadem datur ratio, sive respectus plurium  
terminorum. Quoties enim primus numerus continetur in secundo, to-  
ties tertius in quarto, & quartus in quinto. Utraq; est continua, vel dis-  
juncta. Illa est, quando termini coherent, & intermedius numerus pro-  
duobus sumitur. Hæc est, quæ terminis disungitur.

### XX.

De proportione Geometrica dicit Plato in Gorgia ισότης η γεω-  
μετρικὴ καὶ τὸν ἀνθρώπον μέτε δύναται. Äqua-  
litas Geometrica & apud DEOS & apud homines multum potest. Cui  
addendum quod Isocrates profert in Areopagitico: ubi plurimum ad  
statum felicem civitatis conferre ostendit, si non tantum scimus, quod  
duo sint genera æqualitatis, quorum alterum idem omnibus; alterum  
singulis, pro dignitate tribuit, sed etiam illam ut iniquam repudiamus, quæ  
nullum facit discrimen inter bonos & improbos: illam vero, quæ pro suo  
quemq; merito & honorat, & punit, amplectimur & in gerenda Republi-  
ca sequimur.

### XXI.

Prior pars Justitiae particularis est Justitia distributiva, quæ in  
distributione bonorum & malorum inter personas civiliis societatis di-  
tribuendorum pro ratione dignitatis personarum, & æqualitatis me-  
diocritatem observat juxta proportionem Geometricam. Hujus ra-  
tio formalis in eo est, quod medium observat Geometricum, & oner-  
sive præmia, sicuti Reipub. membris debentur, juxta æqualitatem, quam  
in respectu ad totum habent, distribuit. Obiectum itaq; illius sunt præmia  
& onera. Præmia sunt bona externa, vel res in universum omnes bo-  
na, que

nae, que inter personas civilis societatis, quatenus tales distribuuntur, ut sunt honores, dignitates, officia, pecuniae, agri, domus, praedae ex hostiis captiæ, & his similia. Onera sunt, que cuilibet membro communis tatis propter totius corporis salutem & conservationem ferenda imponuntur: qualia sunt labores, census, contributiones, stipendiiorum collationes &c. Officium iustitiae distributivæ est in honoribus ad personarum dignitatem, in oneribus ad opes facultatesq; exactè respicere.

XXII.

Secunda pars Iustitiae particularis dicitur Iustitia correctiva, vel commutativa, que iuxta æqualitatem vel proportionem Arithmeticam mediocritatem observat circa emendandos & corrigendos contractus, nullo habito personarum respectu, ut suum quisq; consequatur, & nulla pars defraudetur. Ratio formalis huius iustitiae consistit in eo, quod observat proportionem Arithmeticam, habito respectu Rei, non autem personarum. Nam ad res hic sedulò est attendendum, ne in illis sit magis & minus, lucrum & damnum.

XXIII.

Obiectum sunt Contractus, qui sunt vel spontanei vel inviti. Illæ sunt, qui fiunt utraq; parte volente & consentiente: ut emptio, venditio, locatio, conductio, sponsio vel fidejusio, mutuum, commodatum, depositum, oppignoratio. Hi sunt, qui non fiunt utraq; parte volente & consentiente. Inviti autem dicuntur non simpliciter, sed ratione patientis, cui vel ignorantie vel invito fit injuria per ejusmodi contractus.

XXIV.

Genus horum contractuum est duplex: unum est clandestinorum: alterum violentorum. Clandestini sunt, qui fiunt, altera parte ne-scientie, ut furtum, adulterium, venescium, lenocinium, servorum seducio, sive illorum à proprio Domino occulta & fraudulentia subtractione, cædes cum dolo, vel dolosa alterius occiso, falsum testimonium. Violenti sunt, quibus alteri partis violentia infertur, ut verberatio, in carcere rem vel catenas conjectio, cædes, rapina, membrorum corporis mutilatio, contumelia, convicium, & si quæ sunt hisce affinia.

XXV.

Officium hujus Iustitiae est illud sedulò agere, ut in contractu strinxit æqualitas lucri & danni. Medium vel instrumentum, per

B

quod

quod exercetur *Justitia commutativa*, vel est ex natura, vel hominum  
instituto. Illud est primarium, quod est *indigentia*, & usus rerum in di-  
versis populis. Hoc vero est *numimus*, cuius beneficio omnes res meti-  
mur. Oppositum *Justitiae commutativa* est *injustitia commutativa*,  
qua medium *Arithmeticum* negligitur, & vel *iniquum* *premium rebus*  
*imponitur*, vel minus sovitur pro rebus, quam debebat.

X XVI.

Hactenus egimus de *Justitia*, ejusq; oppositis, sive extremis : se-  
quitur nunc illud ; quod *ius* dicitur, & est vel *illius principium*, vel esse-  
tus. Principium *Justitiae civilis* est *ius*, quod est *naturae*, & *Reip. de-  
cretum* ostendens modum *vitae honeste instituenda*, sicuti id vel in com-  
muni decet, vel huic vel illi *Reip. convenit*. Distinguendum autem  
est inter *ius Politicum*, & *oeconomicum* : Hoc non simpliciter, sed secun-  
dum quid, & per similitudinem *juris civilis ius* dici meretur ; si quidem  
sic nullae dentur leges, que, cum ipsi sint inter se inaequales, omnes & equaliter  
obligent. Illud autem absolute *ius dicitur*, & inter eos valet, qui  
in societate civili inter se sunt conjuncti, & sunt homines liberi, &  
& *equales* vel *proportione* vel *numero*, ut alter alterius *indigentia* succur-  
rat, & membris *Reip. res necessaria supeditentur*.

X XVII.

*Jus Politicum* autem non accipimus hoc loco in ea significatio-  
ne, qua illud usurpat *Jurisconsulti*, & distinguitur a *jure naturali* ;  
definitur enim hic tam late, ut etiam contineat *ius naturale*. Quare  
dividitur in *naturale*, & *legitimum*. *Ius naturale* mentibus humanis  
indidit auctor *naturae*, illudq; per se valet non ex *instituto*, vel authori-  
tate hominum, semperq; & in omnibus locis, & apud omnes homines  
& *andem vim absg; mutabilitate obtinet*. Talia principia sunt : *Honeste*  
est vivendum : *Nemo est laedendus* : *suum cuig; est tribuendum* : *Paren-*  
*tes* sunt *honorandi* : *Pacta sunt servanda* ; & *similes propositiones pra-*  
*dictae universales per se notae*, & *inde monstrabiles*, sive *conclusiones ex*  
*hisco principiis exstructae*, de regendis moribus convenientes *cum aeterna*  
& *immota norma mentis divinae insitae nobis divinitus*, ut sint *testimo-*  
*nia*, *quod sit DEUS*, & *qualis*, & *regant nos*, ut *congruat obedientia*  
*nostra cum voluntate DEI* Philip. Melancht. in Epit. Philosophiae  
moralis.

28. Sub-

## XXIX.

Subjectum iuris naturalis sunt omnes populi, sive sint gentiles, Christiani, Turci, Judae &c. quia hisce omnibus communis est ratio humana, quae indicat, quid rectum, quid honestum sit. Causa efficiens est ipse DEUS, qui divinae sapientiae & justitiae radios animis hominum impressit, illosque per evidenteriam objectorum & potentiam ea apprehendendi conservat. Effectus juris naturalis est, 1. Universalis, siquidem eandem vim apud omnes gentes obtinet. 2. immutabilis, quia apud DEUM, qui nobis illud impressit, idem semper est justum, & idem perpetuum inustum. Quod si verò aliud aliud videtur esse ius, & alibi aliud inustum esse existimatur: illud sit hominum vitio, qui naturae dictam non recte percipiunt, & aliter, quam oportebat, accipiunt.

## XXX.

Jus legitimum est quod valet ex instituto hominum, & civibus unius communitatis prescribitur, & pro ingeniorum locorum, Rerum pub. differentiis solet mutari. Subjectum iuris legitimi sunt Cives unius communitatis: nam legitimum ius non apud omnes idem est; sed sicuti alibi aliae mensuræ sunt, ita & aliae leges. Causa efficiens iuris legitimi sunt, qui habent potestatem condendi leges, presupposita honestate, & ratione probabili adducti, legem ferre & abrogare possunt. Causa finalis est Reip. tranquillitas & conservatio. Effectus iuris legitimi dependet à decreto. Nam obligandi vim non habet, antequam sancitum est à legislatore, nego etiam tunc; quando est abrogatum.

## XXX.

Adjunctum iuris legitimi est æquitas, quæ est legis correctio, & applicatio ad personas, & circumstantias singulares. Etsi enim judicis est inferendis sententias, & lite derimenda sequi legis prescriptum, ut quandam normam & cynosuram; siquidem leges eo fine sunt promulgatae, ut judiciorum sint regula: necesse tamen, ut circumstantie omnes expendantur, & legis asperitate cognita, commoda juris interpretatio adhibeatur. Causa autem est, inquit Arist. lib. 5. Eth. c. 10. quia lex universalis est; fieri autem non potest, ut de quibusdam universaliter recte dicatur. Cum igitur lex universaliter loquatur, & actionum humanarum tanta sit diversitas, ut differentia illarum præceptis universalibus, non possint comprehendendi, emendanda ea est ea ex parte, quâ deficit.

A A A I.

Et quum igitur & bonum et si non idem est cum iusto simpliciter, genero tamen ab eo non est diversum. Nam etiam bonum & aequum est iustum quoddam; non autem illud, quod est a lege, sed a juris legitimi correctione, qua refertur ad naturale. Dicitur igitur c. 10. in fine. Et habitus hic aequitas, & bonitas, que quidem iustitia est, & non aliis quam habitus.

### XXXII.

Effectus iustitiae civilis est ius, non pro lege vel iustitia principio acceptum, sed pro iusto facto & actione iusta, neq; vero pro illa, que habitum iustitiae praecedit. Nam haec est imperfecta; sed quae iustitiam sequitur, & ab illa accipit suam perfectionem. In hac significacione ei opponitur injuria, que est juris violatio a volente invito alicui illata.

### XXXIII.

Dicitur a volente illata: nam quae sunt invitè, non dicuntur esse injuria, nisi per accidens. E. g. si quis invitè retinet depositum, non quidem is dicetur injariam facere, facit tamen id, quod est opus iustum per accidens, & injuria esse potest, si fiat sponte. Quare Aristot. l. 5. c. 10. οὐτων δε των δικαιων ηγη ἀδίκων των εἰσημένων, ἀδίκη μὲν ηγη δικαιοπεγχυτής, ὅταν εἰνών τις αὐτὰ πεάτης ὅταν δε ἄλλων, οὔτ' ἀδίκη, οὔτε δικαιοπεγχυτής, ἀλλ' η ηγη συμβεβηκός οἷς γάρ συμβεβηκε δικαιοίς εἴναι, η ἀδίκοις, πεάτησιν. ἀδίκημα δε ηγη δικαιοπεγχυτήμα ὥστε τῷ εἴκοσιώ, ηγη ἀκροτίω, ὅταν γάρ εἴκοσιν ηγη, φέρεται. ἀμφα δε ηγη ἀδίκημα τότε εἴναι. ὥστε ἀδίκοι η εἴσαι μὲν, ἀδίκημα δε γένεται, εἴσιν μηδ τῷ εἴκοσιν περισσοῦ. Cum iura vero & injuria sint ea, que diximus: & iuste agit, & iuste quispiam, cum sponte agit. Nam cum invitus facit, neq; iuste neq; iuste agere censendus est, nisi ex accidenti: accidit enim, ut ea, quae agunt, vel iusta sint, vel injusta. At iuste, vel injuste factum spontaneo & invito definitur. Cum enim spontaneum fuerit, vituperatur: tuncq; etiam est injuste factum. Quare sit, ut iustum quidem esse quippiam posse, quod tamen nondum iuste factum sit, nisi id etiam assuerit, ut sponte factum sit.

34. Cum

Cum autem *injuria* fiat secundum modum quendam nocendi, notandum hoc loco erit, quod *læsio*, quæ fit per actiones humanas, sit triplex: Una est, quæ fit ab invito, quando is, qui lædit, vel ignorat, se hunc lædere, vel nescit; se hoc modo lædere, vel non videt instrumentum, quo uiuit, aptum esse ad lædendum: vel agit cum eo non lædendi animo. Altera est, quæ quidem fit a sponte agente, sed absq; deliberatione, & cæco quodam animi impetu, vel ex ira, aliisq; perturbationibus, quæ necessariò vel naturâ hominibus accidunt. Tertia est, quæ fit ab eligente, vel ex malitia, quando aliquis lædit de industria, præmisâ consultatione, atq; electione.

Hac distinctione datâ, *injustus* sive *injusta actio* hoc loco dicitur non ob quamcunque *injuriam* sive *læsionem*: sed propter illam, quæ fit *consulto*, & *præmisâ* *deliberatione*, quod rursus indicat Aristoteles, citato loco, dicens: τῶν ταῦτα μὴ οὐ πάσαντες καὶ ἀμαρτίαντες, αδικοῦσι μὲν, καὶ αδικηματά εἰσιν· & μέν τοι πάνται αδικοῦσι τὰ τεῦτα, γάρ τοι νοητοί· γάρ τοι μοχθηταί οὐ βλέψητε οὐταν δέ εἰς τοις απερασταῖς, αδικος καὶ μοχθητός. Qui in his lædunt, & peccant, *injustè* quidem agunt, suntq; haec *injustè* facta, nondum tamen *injusti* ob hæc, neg. pravi ipsi homines habentur: quippe cum *læsio* ipsa ex *pravitate* minimè evenerit. Nam cum ex electione læserit quispiam tunc *denuo* *injustus* ac *pravus* est.

Distinguendum autem est inter *læsionem*, quæ fit ex *ignorantia* circumstantiæ: vel ob perturbationem aliquam necessariam & naturalem: Atq; *læsionem*, quæ fit ex *ignorantia* *juris*, seu ex odio, invidia, & aliis affectibus non humanis. Nam illa videtur *excusationem*, & veniam mereri: haec autem *excusatione*, & *venia* est *indigna*. οὐ μὲν γάρ, enquit Aristoteles in fine cit. cap. μὴ μόνον ἀγνοεῖντες, αλλὰ καὶ δι ἀγνοιαν ἀμαρτίαντες, συγγνωμονεῖ: οὐτοί δέ μὴ δι ἀγνοιαν, αλλὰ ἀγνοεῖντες μὲν, διὰ πάθους δέ, μήτε Φυσικὸν, μήτε ἀνθρωπικὸν, & συγγνωμονικά. Nam quæ non modo ignorantibus, sed ex igno-

*ratione communione, iuri cognitio, quia vero non ex ignorantia, sed ignorantes facimus, ex affectu tamen neq; naturali, neq; humano, veniam digna minime sunt.*

X XXXVII.

*Quemadmodum autem ad injuriam, à qua aliquis propriè dicitur injustus, requiritur, ut volens illam faciat: ita contrà pati injuriam, debet fieri invitè. Quod si igitur volens quis injusta suffert, injuriam per accidens tantum pati, dicendum est.*



## COROLLARIA.

I.

*Justitia diverso respectu est bonum ὀμοίων & bonum ἀλλοτρίων. Prius est, quando consideratur, ut habitus respectu subjecti, cui inest: Posterius verò, quando respicit alium.*

II.

*Jus ratione originis est à natura, ratione informationis ab illorum placito, qui habent potestatem condendi leges.*

III.

*Inter justum agere & justè agere est differentia. Illius enim subjectum potest*

potest esse puer, sive etiām is, qui fortuitò agit: Hujus autem subjectum à recta ratione dirigatur, necesse est.

IV

Subjectum juris naturalis propriè dicti non sunt bruta, neq; propterea definiri potest; quod sit id, quod natura omnia animalia docuit. Nam (1) in illis non datur decretum rationis (2) confunditur jus naturale cum eo, quod absolute naturale dicitur, & est inclinatio, vel affectus naturalis, qui cum animalibus nascitur.

V.

Pænæ, quæ delictis imponuntur, non pertinent ad justitiæ distributivæ objectū. Nam quod distribuitur, illud inter civitatis membra dividitur, & unicuiq; confertur sive imponitur, quia est civis, & pars civilis societatis, cuius vel bona vel mala sunt.

VI.

Quod contra legem naturæ committitur, illud peccatum est, à quocunq; etiam committa-

mittatur, quia præcepta ejus sunt universalia,  
& omnes homines obligant.

VII.

Nemo sibi ipſi potest facere injuriam, quia  
nemo malum vult quatenus est malum: inju-  
ria autem mala est. VIII.

Etsi justitia, à qua civiliter justi nomina-  
mūr, natura est prior actionibus injustis: re-  
ctè tamen dicitur, quod justi efficiamur res  
justas facientes.

---

Par epigrammatum,

In gratiam doctissimi  
DN. RESP. AFFIXUM.

**I**nter virtutes Astraea refulget, ut astra  
Aurora auricomō scandere digna peplō.  
Hanc velut auroram studij præmittere gestis,  
Fac, sint Hesperia, meta laboris, aquæ.

f.

P R A E S E S.

**Q**uid verum? Pilatus ait. Quid, suppleo,  
Justum?  
Ille fore olim; sic ego claudio theses.

f.

Samuel Theodori.

(S) (S)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730213625/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730213625/phys_0019)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730213625/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730213625/phys_0020)

DFG

poteſt eſſe puer, ſive etiā  
tuitò agit: Hujus autem  
à recta ratione dirigatur,

#### IV

Subiectum juris natura  
dicti non ſunt bruta, neq;  
definiri potheſt; quod ſit id  
tura omnia animalia doc  
(1) in illis non datur decre  
nis (2) confunditur jus nat  
eo, quod abſolute natura  
& eſt inclinatio, vel affeſ  
lis, qui cum animalibus na

#### V.

Pænæ, quæ delictis imponun  
tinent ad justitiæ distributivæ o  
quod distribuitur, illud inter c  
bra dividitur, & unicuiq; con  
ponitur, quia eſt civis, & pars c  
tis, cujus vel bona vel mala ſunt.

#### VI.

Quod contra legem naturæ e  
illud peccatum eſt, à quo cun




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_